

Georg Mejer Johannes Nemorimontius


Disputatio II. Collegii Metaphysici : De Philosophiae Divisione

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729118843>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO II.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
PHILOSOPHIA
DIVISIONE.

Quam

AUSPICE CHRISTO

In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

Defendendam suscipiet

JOHANNES NEMORIMONTIUS


VVarnensis Megapol.

Ad diem 1. Septemb. horis pomeridianis.

ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri

Anno c15 15 CX.



ORNATISSIMIS, SPECTATIS-
*simis, pietate, virtute, prudentiâ, longoq̃
rerum usu & experienciâ valdè con-
spicuis viris-juvenibus,*

DN. DANIELI TROIEN,
Reverendiss. & Illustriss. Principis ac Domini. Dni. VLD-
ARICI, Episcopi Butzoviensis &c. præfecto,
& inspectori vigilantissimo, ac
dignissimo,

DN. HENNINGO TROIEN,
ibidem Reverendissimi & Illustrissimi Principis ac Domi-
ni, Dni. VLDARICI, Distillatori solertis-
simo, & *κερδέτω* præstan-
tissimo:

*Dominis Patronis, fautoribus ac promot-
ribus suis officiosè colendis & pluri-
mum honorandis,*

Hanc de Philosophiæ divisione *σύντησιν* in sin-
gularis observantiæ, debitæq̃ gratitudinis
testimonium,

Offert, dicat, consecrat,

Johannes Nemorimontius,
Vvarnenfis Megap.



DE PHILOSOPHIÆ DIVISIONE.

Theorema I.

Philosophia in Logicam, Phyllicam & Ethicam à Stoicis perperam dividitur.



Actenus de Philosophiæ definitione, principijs & causis sequitur ejusdem divisio.

II. *Varia vero & discrepantes de Philosophiæ divisione sunt opiniones. Prima est Stoicorum eam in Logicam, Phyllicam & Ethicam*

secantium, quam tamen minimè admittendam esse suadent sequentes rationes. 1. Quia confusione laborat divisio: Confundit enim & commiscet ipsas Philosophiæ partes cum instrumentis, quorum tamen ratio maximè diversa existit, uti in sequentibus prolixius sumus demonstraturi. 2. Quia angusta est nimis: omittit enim Metaphysicam partem Philosophiæ præstantissimam, & simul omnes disciplinas Mathematicas. 3. Quia Ethicam à reliquis Philosophiæ practicæ partibus non distinguit. Per Ethicam enim totam nobis exhibet Philosophiam practicam. Esse vero eam à Politica & Oeconomica distinctam quis est quem lateat?

Theorema II.

Philosophiam Ramæi in communem & specialem malè partiuntur.

A 2

Altera

Altera opinio de Philosophia divisione Ramæorum est, duas Philosophiæ partes constituentium, generalem unam; specialem alteram, quæ partitio similiter consistere nequit.

1. Quia artes, quas Ramæi vocant communes, ut sunt Dialectica, Rhetorica & Grammatica ejusdem naturæ & conditionis cum reliquis disciplinis non sunt: In illis enim neq; res divina neq; humana docentur, sed instrumenta saltem eadem cognoscendi traduntur.

2. Quia artes communes & reliquæ disciplinæ toto genere differunt (univoco) Inter Ens enim rationis & reale nulla datur generis & speciei distinctio: nam utrumq; æquè generale & speciale existit. Quæ autem commune genus univocum non habent, perperam dividuntur.

3. Quia pars communis & specialis idem subjectum non habent: Illa enim subjectum agnoscit Ens rationis: hæc Ens reale. Quæ autem disciplinæ idem non habent subjectum, sub idem genus quoq; cogi non possunt.

Theorema III.

Philosophiam Toletus in *ἡρωικὴν καὶ κοινὴν* vitiosè dispescit.

Habet & Toletus suam quam fovet de Philosophiæ divisione opinionem, à rei veritate vero maximè alienam. Nam

1. Philosophiam in latissima ac impropria significatione sumit, quâ non minus rusticus dicitur Philosophus, quam eruditus.

2. artes manuales sordidas & illiberales, quas pars *κοινὴν* sub se cõprehendit, ingenuis ac liberalibus equiparat, in quo vehementer hallucinatur. Quis enim sutorem appellabit Philosophum?

3. Corporis bona cum bonis animi confundit. Quid enim queso artium illiberalium cognitio ad perficiendam sapientiam humanam conferre potest? Neq; enim intellectum proprie informat; neq; ad exercitium virtutis hominem præparat: Nam non

non tam honestatis aut cognitionis, quam necessitatis & utilitatis
gratia artes illiberales & manuarum inventa sunt.

Theorema IV.

Philosophia à Peripateticis in speculativam & practicam rectissimè dividitur.

I. Rejctis superioribus, de Philosophia divisione opinionibus, postremam hanc Peripateticorum ut veriore[m] amplectimur, ob rationes longè evidentissimas, quæ sunt: 1. Quod divisio hæc sit ex ipsa Philosophia essentiâ desumpta. Omnium enim rerum essentia & natura ejusmodi est, quod quædam tantummodo sint speculativa; quædam practica. Res enim quædam solius cognitionis gratia inquiruntur: aliarum vero cognitio sola non sufficit, sed oportet præter cognitionem $\pi\acute{\alpha}\lambda\lambda\iota$ etiam sive actionem accedere. Iam vero omnis partitio desumenda est ex ipsa rerum, quas partimur essentia. 2. Quod partibus constet contradistinctis, cum toto vero consentientibus, quam conditionem bonæ divisionis Ramus lib. 1. Log. cap. 15. rectissimè constituit. Quarum enim rerum contemplatio est, earum non est actio. Et contrà: quarum est actio, earum non est contemplatio. 3. Quod ad conditionem subjecti, mentis scilicet humanæ maximè sit accommodata. Quia enim Philosophia Cicerone teste animi medicina est, oportet utiq; tot constitui Philosophiæ partes, quot defectibus animus hominis præcipuè laborat. Duo autem hujus generis sunt, $\alpha\gamma\omega\iota\alpha$ nimirum, ignorantia veri, & $\alpha\tau\acute{\alpha}\lambda\epsilon\iota\alpha$ perturbatio & affectuum in rationem ipsam dominium. Illa in mente: hæc in voluntate.

II. Definitur vero Philosophia speculativa, quod in nuda rerum contemplatione versetur. Practica vero quod præter contemplationem ad agendum progrediatur.

Theorema V.

Ordine dignitatis speculativa prima est, in usu vero antevertit practica.

Membris in divisione rectè constitutis, proximum est, ut quadam inter illa fiat comparatio. Est vero Philosophia speculativa præstantior practica, & hac illa, sed diverso respectu. Præstantior est speculativa practica ratione dignitatis. 1. Quia nobilius habet objectum, omne ens videlicet tam infinitum quam finitum, siquidem non tantum circa res supernaturales & incorporeas spiritus nempe, sed & ipsum Deum versatur: Practica vero tantum occupata est in rebus humanis & contingentibus. 2. Quia præstantissimam animam informat partem, mentem videlicet sive intellectum: practica vero saltem voluntatem. 3. Quia speculativa Philosophia proprius ad Deum accedimus, quam practica. Contemplatio enim in Deo etiam locum habet, non vero $\pi\epsilon\acute{\alpha}\zeta\iota\varsigma$, quia in Deo nullæ perturbationes. Ratione vero usus practica speculativa præstantior est. 1. Quia propter actiones secundum virtutem institutas laudamur: ob rerum vero cognitionem sive contemplationem neque laudamur neque vituperamur. 2. Quia major est utilitas in externa conversatione boni quam veri. Respicit vero speculativa Philosophia verum, quemadmodum practica bonum. 3. Quia ob morum inhonestatem, vitæque turpitudinem reprehensionem incurrimus, & non raro maximo supplicio afficimur: ob ignorantiam vero & inscitiam non item. Illud vero semper est præstantius, cuius contrarium deterius. Plura vide apud Pererium lib. 1. Phys. c. 4. Velsenium disp. 1. Ethic. q. 10. Strauchium disp. 6. Ethic. q. 6. cent. poster.

Theorema VI.

Philosophia speculativa rursus dividitur in

in Metaphysicam, Physicam & Mathematicam.

I. *Metaphysica est scientia qua circa Ens quatenus Ens, ejusdemque principia & communissimas affectiones versatur, ut sunt unum, verum, bonum &c. qui termini apud Scholasticos Dd. transcendentibus vocantur, quod limites omnium categoriarum transcendunt.*

II. *Physica est scientia qua circa corpus naturale quatenus naturale, ejusdemque principia & affectiones versatur, ut sunt materia, forma, motus, locus, tempus &c.*

III. *Mathematica est scientia qua considerat quantum quatenus quantum. Eaque ratione objecti, quod est vel $\nu\alpha\gamma\iota\omega\nu$, vel $\alpha\iota\sigma\eta\tau\omega\nu$ dividitur in subalternantem sive puram; & subalternantem sine mixtam. Subalternans considerat quantum à materia abstractum, & proprijs principijs indemonstrabilibus utitur. Ejusque species sunt duae: Geometria & Arithmetica. Illa occupata est in quantitate continua, considerans magnitudines rerum; haec in quantitate discreta, numerorum naturas & proprietates explicans. Subalternata est qua considerat quantum, prout certae cuidam materia inhaeret, & principia sua è subalternante mutuatur. Ejus species vulgo octo constituuntur: Cosmographia, Geographia, Geodesia, Stereometria, Astronomia, Optica, Musica & Logistica. E quibus sex priores Geometriae subalternantur: Duae posteriores & Arithmetica. Cosmographia quantitatem Universi describit. Geographia totam terram metitur. Geodesia superficies corporum minorum, ut agrorum & rerum aliarum metitur. Stereometria rerum particularium soliditatem inquirit. Astronomia motuum caelestium quantitatem investigat. Ejus partes sunt duae, doctrina sphaerica, & theoria planetarum. Quò spectat etiam Chronologia & Astrologia. Optica naturam & projectionem radio-*

radiorum visus, luminis, colorum speculatur. Partes Opticae
 sunt tres; ὀπτική κατ' ἐξοχήν sic dicta, causas ostendens propter
 quas visus ob corporum distantiam decipitur: κατ' ἄλλην circa
 reflexiones radiorum occupata: Σκιαγραφική rationem pin-
 gendi umbras in picturis docens. Musica longitudines & altitu-
 dines vocis metitur. Estque vel theoretica vel practica. Illa con-
 siderat numerorum naturas & proprietates in proportione sono-
 rum: Hac circa sonorum & consonantiarum πρᾶξις consistit.
 Et rursus variè dividitur: in instrumentalem & vocalem; in
 usualem & regulatam; in choralem & figuralem. Logistica
 denique nihil aliud est quàm Arithmetica practica. Et dividitur
 in vulgarem & Astronomicam. Vulgaris vulgares habet re-
 gulas numerationis, additionis, subtractionis, multiplicationis,
 divisionis, quas ad regulas proportionum accommodans pro re-
 rum computandarum varietate varias producit operationes.
 Logistica Astronomica in computandis motibus caelestibus con-
 sistit. Hac enim proportione sexagecupla colligit semper sexa-
 ginta unitates in unam sexagenam: aut unitatem unam divi-
 dit in sexaginta scrupula, quousque necessitas postulat.

IV. Distinguuntur vero tres dictae Philosophiae speculativa
 partes modo considerandi. Metaphysica considerat ἀπὸ τῶν ὀντων
 Entia universaliter in amplitudine sua considerata: Physica ἐκ
 τῶν ὄντων, ex appositione materiae: Considerat enim Phy-
 sica corpus materiatum: Matematica ἐκ ἀφαιρέσεως ὀντων ex re-
 motione materiae. Abstrahit enim primum Mathematicus quan-
 titates corporum, easque metitur, & postea juxta certa theorematum
 corporum ipsorum quantitates examinat.

Theorema VII.

Philosophia practica est vel communis
 vel specialis.

III.

I. Illa respicit nosmetipsos Ethica dicta, quam Piccolominensis theoreticam voce improprie sumpta nominat: Hac alios, quam practicam appellat. Est vero Ethica prudentia vitam & mores uniuscujusq. bene & laudabiliter informare docens. Et dicitur dicitur res à consuetudine, cum quod usu & exercitatione crebra, quemadmodum reliqua disciplina, addiscatur: tum quod naturam nulli insit aut ingeneretur. Omnes enim naturam proclives sumus à labore ad libidinem, ut rectissime loquitur Comicus. Versatur vero circa actiones hominum, quae quia naturam suam depravata sunt, & subinde ab honesto exorbitant institutione ethica opus habent, quae emendentur & corrigantur. Finis Ethices est bonum privatum. Instructio enim Ethica $\pi\epsilon\acute{\alpha}\tau\omega\varsigma$ & principaliter eum respicit, qui ipsas exercet virtutes, licet etiam viam & rationem tradat in administratione Reipub. vitam secundum virtutem instituendi. Alienus enim ab omni virtute nunquam futurus est felix & salutaris Reipub. administrator, idq. exemplis eorum liquet, qui factis moribus & turpi vita penitus Reipub. everterunt.

II. Pars Philosophia practica specialis subdividitur in Politicam & Oeconomicam. Politica est prudentia Reipub: bene administrare docens, quod fit recte consulendo; salutare leges promulgando, & iudicium exercendo. Finem habet bonum publicum sive politicum, in hoc differens ab Ethica, quae non politicum aut publicum, sed Ethicum & privatum pro fine agnoscit bonum. Publicum istud bonum in Reipub: tam à magistratu, quam subditis spectari debet. Salus enim Reipub: suprema lex esto, sapienter Romani dixerunt.

III. Oeconomica est prudentia rem familiarem procurare & probe administrare docens, quod fit cum quassum citra proximi incommodam & damnum honeste faciendo: tum parva diligenter custodiendo. Ex quo videre licet finem Oeconomicae esse bonum domesticum.

Theorema VIII.

Philosophiæ instrumenta sunt Grammatica, Rhetorica, & Logica.

I. Vidimus qua sit natura & essentia ipsius Philosophiæ, nunc de instrumentis, quibus utitur non nihil agemus. Dicuntur autem Grammatica, Rhetorica & Logica instrumentales disciplinae, quod certam circa quam versantur, non habeant materiam, sed quod ipsi Philosophiæ ceu instrumenta inserviant. Est enim eorum usus diffusus per omnes scientias. Theologus enim, Juriconsultus, Medicus, Philosophus iisdem utuntur: Quare neutiquam cum Philosophiæ partibus veris confundenda. 1. Quia artis instrumentum non est ars ipsa. Sic malleus non est ipsa ars fabrilis, nec acus sutoria: Sed instrumenta hac tantum sunt, quibus artes illæ exercentur. Hinc ipsissima instrumentorum essentia in usu consistit, extra quem vix nomen habere aut tueri possunt. 2. Quia Philosophiæ versatur circa Ens reale: Instrumentales vero disciplinae circa Ens rationis: Notiones enim secundas efformant, easque notionibus primis sive rebus ipsis imponunt. 3. Quia partes si essent Philosophiæ disciplinae instrumentales, non essent diffusa per totam Philosophiam. Si enim Logicam consideremus, illa in sese absolute considerata nullas tractat res: Applicata vero ad reliquas disciplinas tractat res quascunque in universa Philosophia contentas, & non tantum in Philosophia: verum etiam in Theologia, ita ut magnitudine Philosophiam superare videatur. Pars autem nulla magnitudine adæquat totum, multo minus totum superat.

II. Nec obstat Ramæorum argumentum: Sine quo aliquid est imperfectum & mancum, illud ejus est pars. Atqui Philosophiæ sine disciplinis instrumentalibus est imperfecta & manca. E.

ca. E. Nam hic distinguendum judicamus inter imperfectionem
essentialem & accidentalem. Est Philosophia imperfecta sine di-
sciplinis instrumentalibus accidentaliter tantū, non essentialiter,
quia ratione essentia sua esse potest etiā, & revera fuit integra &
perfecta, cum nondum nata erant disciplina instrumentales: Illa
enim hasce peperit ut vulgatum habet Philosophorum enuncia-
tum. Et quis quaso tam absurdus est, ut statuatur malleum pro-
pterea partem esse artis fabrilis, quod sine eo faber artem suam
tractare nequeat? Videtur omnino ars imperfecta esse sine in-
strumentis. Sed quis inde inferret: Ergo instrumenta sunt pars
artis? Hoc jure inferretur: Ergo ars sine instrumentis exerceri
non potest, quam sequelam lubenter admittimus: Nam nullus
unquam citra admiculum disciplinarum instrumentalium in
philosophia laudabiles progressus fecit.

III. Est vero primum philosophia instrumentum Gramma-
tica, qua definitur habitus instrumentalis sermonem purum ef-
formare docens.

IV. Alterum est Rhetorica habitus instrumentalis sermonem
ornatum efformare docens.

V. Tertium & postremum Philosophia instrumentum est
Logica qua verum à falso discernere docet.

Corollaria.

I. An divisio Philosophia in $\mu\alpha\theta\eta\tau\iota\kappa\eta$ & $\omega\sigma\mu\eta\tau\iota\kappa\eta$
sit legitima? N.

II. An plures sint partes Philosophia specula-
tiva quam tres? N.

III.

An finis Philosophia speculativa sit actio? N.

IV.

*An Philosophia practica praecepta ad res
illas, vulgò quas vocant artium leges, καθ' αὐτὰ, καὶ καθόλου πρῶτων revocari vel debeant,
vel possint? N.*

V.

*An Ethica conscribi debeat ordine synthe-
tico? N.*


VI.


*An Rhetorica sit instrumentum Politi-
ces? A.*

VII.

*An Rhetorices finis legitimus sit persua-
dere? A.*







306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document